

M P V I

1 6 3 1

Ny  
3027



- I. Epithalamia mihi M. Iera conscripta.
- II. Elegia dua mihi et Collegis meis in Senatu conscriptae.
- III. Nuptiis Johannis Grubii et Charitatis Hirscherianae conscripta Caermina.
- IV. Nuptiis Petri Matthaei Wesenbecii et Sarae Osterosiae.
- V. Nuptiis Valerii Rudigeri et Dorotiseae Mariae ab Enden.
- VI. Nuptiis Johannis Hamelii et Magdalenae Hulderianae.
- VII. Gratulatio Johanni Fabrius Consuli et Collegis.
- IIIX. Nuptiis Andreae Woltzei.
- IX. Leisepredij L. M. Casparo Ulrich Angelen.
- X. Nuptiis Dn. Rudolphi Principis Anhaltinae et Comitissa in Oldenburg.
- XI. Nuptiis M. Caroli Jacisii.
- XII. ~~Leisepredij~~ Leisepredij L. M. Casparo Ulrich Angelen.
- XIII. Nuptiis Frederici Hamelii.
- XIV. Nuptiis Matthaei Woltzei.
- XV. In Obitum Dorotiseae Hagen Dn. Wendelini filiae.
- XVI. Propemptica Dn. Martino Fuschio scripta.
- XVII. Nuptiis Dn. Johannis Ernesti Eidermanni.
- XIIIX. Leisepredij Amig. Egidij Weynitzer gratulatio.
- XIX. Propemptica Dn. Johanni Sturmio scripta.
- XX. In Honorem Magistrum Frederici Steffonis et Ernesti Wulstorpis.
- XXI. Leisepredij L. M. Johanni Brendelio gratulatio.
- XXII. Nuptiis Dni Frederici Grubii.
- XXIII. Leisepredij J. Ernesto von Lotzham gratulatio.
- XXIV. Gratulatio ad Dn. Rudolphum Principem Anhaltinum de filio  
nato Johanne.
- XXV. Nuptiis Johannis Mutii.
- XXVI. Leisepredij Amig. Dorotheae Elisabethae valentisberginae gratulatio.
- XXVII. Ad Dn. Augustum Homagii accipiendi causa sermone ingressu.
- XXIIIX. Nuptiis Ottonis von Jörn.

Προσφώνησις Γαμική  
Nuptiis auspiciatissimis

Ornatissimi Humanissimi Doctissimi

DN. IOHANNIS-ERNESTI BIDERMANNI LL. Studiosi,

DN. LAURENTII BIDERMANNI

Illustris. Princip. Anhaltinorum quondam Cancellarii gravissimi Filii,

DN. MATTHÆI VVESENBECHII JCTI  
Celeberrimi, ex Filiâ Nepotis,

SPONSI

Nec non

Virginis Lectissimæ Florentissimæ

A N N Æ

Viri Clarissimi

DN. BALTHASARIS KISEVVETTERI

J. U. Licentiati

Filiæ Primogenitæ

SPONSÆ

*Serveste A. D. X. Calend : Quintilis*

*Anni CIJ. IJ C. XIIIX.*

*Celebratis*

D I C A T A

â

Cognatis & amicis.

*Typis Zachariae Dörfferi,*

ANNO M. DC. XVIII.





In Nuptias  
Virtute & doctrina Ornatiss<sup>i</sup>: Juvenis,  
Dn. JOHANNIS ERNESTI BIEDERMAN-  
NI, L.L. Studiosi,  
SPONSI:  
Et Honestissæ: Virginis  
ANNAE,  
Viri Clarissimi  
DN: BALTHASARIS KISVVETTERI  
J. U. Licentiati Filix,  
SPONSÆ.

**C**ondecorent alii Sponsi Sponsaq; Parentes,  
Vvesenbecciadum concelebrentq; genus,  
Commemorent merita, atq; decus virtutis avitæ,  
Laudibus attingant Solis utrâmq; domum,  
Et BIEDERMANNUM, KIESVVETTERUMq; repo-  
Par ut amicorum, cum seniore senem. (nant  
Me, satis est, imo de promere pectore vota,  
Atq; pia tales edere voce sonos.  
Author, CHRISTE, tori, Sponsū, Sponsamq; recetes,  
Nunquam rumpendo foedere utrinq; liga.  
Esto in amore suo Sponso par Sponsa, maneto  
Ardor ad extremos mutuus isterogos.  
Quali Isac caræ flagravit amore Rebecca:  
Quali arsit Sponsum pulcra Rebecca suum.

A 2

Suavia

*Suavia contingant socialis pignora lecti,  
Quae ludant patris matris & ante pedes.  
Pallentes absint morbi, cessetq; senectus,  
Atq; genas serò ruga senilis, aret.  
Sint unum, vivant unum, nec vincula amoris,  
Sortis, vel mortis, cuspis acerba secet.*

M. Johannes Theo-  
poldus.



*Ad Dominum Johannem Ernestum Bie-  
dermannum Sponsum, amicum atq; affinem  
suum amicissimum.*

**C**um tibi dent CHARITES & blandula Gratia  
nomen  
Ipsaq; Sponse, tibi jungat cognomina VIRTUS,  
BIEDERMANNE, novis mox annumerâde maritis;  
Et modò cœlesti contingat munere Sponfa,  
Sponfa pudicitia nulli, aut pietate secunda,  
ANNULA consulti fata sanguine KISWETTERI,  
ANNULA mellifluis longè suavissima labris,  
ANNULA candidulo longè gratissima vultu,  
ANNULA floridulas inter pulcerrima Nymphas,  
Quam genus, & Venus, & pietas super omnia ditat;  
Nil aliud nomen, aliud nil suggerit omen  
Quàm thalamum optatâ tranquilla in pace futurum,  
Jucun-

Jucundumq; simul, natisq;, & amore feracem.  
Vos modò, quod facitis, pietatem jungite Sorti,  
Cordifluâq; fide toti confidite Christo;  
Sic thalamus jucundus erit, sic cætera vobis  
Adjiciet largo Domini benedictio cornu,  
Sic aderit blando semper concordia vultu,  
Sic benè convenient cum rebus nomen, & omen,  
Sic Kisvvetterio fata BIEDERMANNIA proles  
Germine vos faciet longævâ ætate parentes.  
Plura precaturò pietas sic vellicat aurem,  
Justorum soboli Deus, & pia fata favebunt.

*Johannes Sturmius Reip:*  
*Serveſt: Syndicus,*



A L I V D.

**I**psa negat ratio: quòd sint Mare, Fœmina, Flâma,  
Ut quondam dixit, Comice, terna mala.  
Vena perennis aquæ nam res est optima: longè  
Ignis & est auri pondere splendidior.  
Principiis rerum, mortalibus, hisce duobus  
Corporeis, constat vita aliturq; diu.  
Sic sunt dulce bonum vitæ socialia lecti  
Fœdera: cum Sponsam vir sibi jungit amans;

A 3


Que

Quae facit: ut semper vigeant sub corde mariti  
Gaudia: quaeq; viret fama futura domus.  
Non tantum in Mundo fructus Neptunus & ignis,  
Quantum fert socio foemina juncta viro.  
Nam (si rem reputes) hominum sic vita subinde  
Stirpe novâ crescit: funera cum patimur.  
Hinc lympham atq; ignem prisci praefere solebant:  
Quando nympha fuit consocianda toro.  
Hoc veluti sacramento socialia jura  
Firmabant, leges sic thalamiq; dabant:  
Pura fides Sponsis & candidus esset ut ardor:  
Ceu flammae purgant, lustrat & humor aquae.  
Rem, pie Sponse, novâ qui gaudes conjuge, dignam  
Laude facis faciens, quod jubet ipse Deus.  
Namq; tuæ stirpi dum consulis, autor amoris  
Ingentem laudem à posteritate feret.  
Jamq; maritus ovas: nati tandem opto parentem  
Te vocitent: dulce & nomen utrumq; pium.  
Sic tutus multos cum conjuge vive per annos,  
Igne fruens & aquâ conjugiiq; bono.  
Sors manet hæc thalami socios sine crimine junctos,  
Qui norunt (res ô tuta) timere Deum.

Inunc

*Nunc, esse malum tædas dic Comice: terna  
Quin potius bona sunt femina, flamma, mare.*

Abrahamus Cremerus, Ecclesiæ  
Lindaviensis Pastor.



*ALIUD.*

**A** Cclamare tuis me vis, Sponse optime tædis:  
Haud denegarem, si modò  
Deëffet carminis haud jam penitus materies mihi.  
Miraris. Vis me ergo tuum laudare Parentem?  
At quî celebrem Ego Virum,  
Cujus promerita hanc in patriam sunt satis obvia.  
Sed nec Avi exiguo fuerit fas carmine dotes  
Venave promi paupere:  
An non sidera WESENBECCII fama supervolat?  
Ingenio ergo tui dotes memorare jubebis?  
Laudari in os non expetis,  
Et qui clara Patrum vis sobolem non generet parem?  
Sponsæ vis Pietas Mores & Forma Genusq;  
Probentur à me pluribus,  
Non ignota aliis sunt ea. Sed Tu dubitas parum.  
Ergo vota feram cœptis vis deniq; vestris?  
Tulere jam plures sua:  
Et salva omnia sunt, juncti ubi sunt cū paribus pares.

*M. Petrus à Jena*

*Schola Reçtor.*


*ALIUD.*

ALIUD.

**A**utor, Summe Pater, tori jugalis,  
O qui principio cares & omni  
Fine; fœdera qui foves sacra  
Sacri conjugii, & tueris hocce  
Opus Numine promovesq; sancto:  
Qui regnare vetas nefandum amorem,  
Toris quiq; vetas inesse rixas:  
Ut mens casta manes; ita autor omnis  
Casti amoris es unicus manesq;  
Sponsos hosce novos juva, tuere,  
Adsit his tua gratia atq; Flamen,  
Tollas insidias Draconis omnes,  
Ne possit pia corda ledere unquam.  
Da per te alma salus redundet, ipsi  
Da sui videant tori feracis  
Multa pignora, transigantq; vitam  
Longevam unanimes. Meum hocce votum  
Fac, ô Summe Pater, ratum atq; firmum.

Johannes Hamelius Reipub.  
Patriæ Senator.

CON.



CONJUGIBUS NOVIS

Dn. JOHANNI ERNESTO BIDER-  
MANNO & ANNAE  
Kisvvetterianæ.

**N**unc est canendum, carmine libero  
Nunc gratulandum conjugibus novis,  
Nunc sume plectrum, nunc sonorum  
Incipe Musa rogata metrum.

Ad nuptiarum festa celebria,  
Nunc transiturus non sine Numine  
Cœptis Bidermannus favente,  
Et generi & sibi profuturus.

Sponsus celebri clarus avo, patre,  
Clarus, celebris nomine & omine,  
Virtute magnus, magnus arte,  
Eloquio ingenioq; pollens,  
Sponsam pudicam, candidam, amabilem,  
Pulcris nitentem moribus ingenl  
Virtute præstantem; addo & illud  
Eximio patre procreatam;

Lecti jugalis nunc sociam expetit,  
Cum qua beatè vivat & exigat  
Ætatis annos, dum sororum  
Fila trium patientur atra.


B

Hæc

Hæc ergo cœpta ut prospera conjugii  
Utriq; sint, faxit DEUS Optimus  
Qui cuncta solus cunctipotens regit,  
Qui maria omnia fecit unus.  
Ille ergo rerum conditor unicus  
Vos sospitet vos protegat unicè,  
Avertat omnes ipse fraudes  
Infridias abigat Draconis.  
Avertat omnem vim Satanæ trucis,  
Atq; ejus omnes pestiferos dolos,  
Vestro in toro ne moliatur  
Quid sceleris scelerum architectus.  
Vitæ hinc peracto tramite candidè,  
Cives Olympi vos faciat sui,  
Et gaudiorum, quæ piis sunt  
Sanguine Christe tuo parata.

fac.

*Martinus Cramerus Servest.*



AD Dn. SPONSUM.


**C**astris tu natus mihi Bidermanne videris  
Atq; relicturus nobile pacis opus.  
Totus in Aoniis luctatus es hæctenus arvis,  
Ad pacem rebar te redisse domum.

*Rursum*

*Rursum quid tentat labor improbus, ecce duellum  
Intrepidus cum alio milite miles inis.  
Non heic vana valet contentio, ad ipsa vocaris  
Arma, modò galeà cinge comante caput.  
Masculus in pugnam hanc descende, caveq; remittas  
Arma, sed hasta vide plurima fracta cadat.  
Convictum minimè dederit si eventus, Et aptè  
Comperero te ictûs adplicuisse tuos;  
Ictûs addiscam, castris armisq; relictis  
Aoniis mox, te ritè docente, tuos.*

Ludebat

Joachimus Flemingus  
Anhaltinus:



*A L I U D.*

**P**Ræstans ingenio JANUS, virtutibus ANNA,  
Dignus virgine vir, virgoq; non minus  
Tali digna venit viro,  
Egregiis, ambo, clarisq; Parentibus orti,  
Conjungunt socio fœdere nunc manus  
Tædas & celebrant pias.

B 2

Conju.

Conjugii hoc festum fas laudis honore vereri,  
Non, si materiam hanc eximius tacet  
Vates, crimine liber est.  
Sed quid ego, Vatesné? hæc ipsa referre quid aufim?  
Absit, nam proprio sat modulo ac pede  
Memet metior ipsemet.  
Carminibus vestris tamen addere pauca, sed ista  
Verbis exiguis, vota sacra & pia  
Ad Jhovam facere expedit.  
Ergo mei caput est quod cæpti, comprecor, opto  
O Sponsè! ut videas secula plurima,  
Vestro adsitq; toro DEUS.  
Flagret vester amor, longè dira absit Erynnis,  
Quæ turbare solet gaudia amantium.  
Opto tempe suavia,  
Gratior ut pulcrâ veniens ex arbore fructus  
Sit, vobis similes ferte propagines,  
Per quas gloria patria  
Crescat, quæq; sient solamen dulce parentis  
Confecti senio: His Jhova hominum Sator  
Votis annue prosperè.

*Vovebat*

*Paulus Alberti Ser-*  
*vestanus.*

*ALIUD.*

ALIUD.

**G**Ratulor ut vestris Sponse ô doctissime cœptis  
Expetis, in thalamū cum venit ANNA soror.  
Quod vetus exposcit mos, cur tibi, Sponse negarem?  
Precipit hoc pietas, mutuus atq; favor,  
Obruor at magno laudum percussus acervo,  
Quas video vestrum condecorare torum  
Quid loquar, aut quæ summa sequar vestigia quid ve  
Omittam, dubias mente animoq; feror:  
Aggrediarne tuas versu pertexere laudes?  
Sponse, minusq; decet, Sponse, minusq; placet.  
Ergo canam dotes præclaraq; facta Parentis?  
Scilicet hoc fuerit viribus impar onus.  
Cui non nota tui Patris est prudentia? cui non  
Notis amor recti, justitiæq; fides?  
Nec celebrare iuvat Sponse præconia, formam,  
Non animi dotes commemorare placet:  
Nam quid Ego frater percurram dona Sororis,  
Scilicet hæc est laus propria, grata minus.  
Quamvis exiguo mea flumine carmina manant,  
Vota tamen donis jam potiora feram,

*Conjugio quicquid fas est optare bonorum,  
Opto, quæ thalamo vota ferenda, fero,  
Vota fero, quæ vota tulit sanctissimus ille  
Psaltes, fatidici nobile regis opus.*

O ter beatum, quem Domini timor  
Ducit sacrato tramite, & ô quater!

In devios quem tramites non  
Devius abstulit error usquam.

O te beatum: nam tibi prosperè  
Sic cuncta cedent, paupere tu licet  
Sis sorte, pascent atq; alent te,  
Numine propitio, labores.


Ceu vitis almus palmitè fertili  
Ullmos maritat, ceu viridi comâ  
Cingit domum: uxor te beabit  
Sic tua germine liberorum,  
Mensamq; cingent agmine liberi  
Magne secus non, termite quam sui  
Fallente nunquam spem coloni  
Arborem oliva ferax coronat.


Florente cernas ut Solymâ, statu  
Atq; Israelis incolumi, tuis  
Natos ocellis, utq; cernas  
Progeniem pariter beatam.

*Balthasarus Kisevvetterus*

*Junior Sponse frater.*

F I N I S.





Nr 3027.

8

ULB Halle 3  
002 804 379




77 → 01


VJ 77

Retros ✓

M







XVII.

Προσφώνησις Γαμική  
Nuptiis auspiciatissimis

Ornatissimi Humanissimi Doctissimi  
DN. IOHANNIS-ERNESTI BIDERMANNI LL. Studiosi,  
DN. LAURENTII BIDERMANNI  
Illustris. Princip. Anhaltinorum quon-  
dam Cancellarii gravissimi Filii,  
DN. MATTHÆI VVESENBECHII JCTI  
Celeberrimi, ex Filiâ Nepotis,  
SPONS I  
Nec non  
Virginis Lectissimæ Florentissimæ  
ANNÆ  
Viri Clarissimi  
DN. BALTHASARIS KISEVVETTERI  
J. U. Licentiati  
Filix Primogenitæ  
SPONSÆ  
*Serveste A. D. X. Calend : Quintilis*  
*Anni C17. 17 C. XIIX.*  
*Celebratis*  
DIGATA  
â  
Cognatis & amicis.

*Typis Zacharia Dörfferi,*  
ANNO M. DC. XVIII.